

manae Ecclesiae facta, non definita ad nos et finienda adhuc, Epistola a Reverendissimo Papa Joanne per Legatum nostrum remissa est, cujus vero Epistolae tenor hic est. etc.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 92. et 96.

IV.

Circa annum 925—959.

Comitatus et termini Regni Croatiae, saeculo X.

Divisa autem est eorum (Chrovatorum) regio in zupanias undecim, quarum nomina: Chlebiana (Hlevno seu Hlivno), Tzentzena (Cetina), Emota (Imota), Pleba (Pleva in Bosnia), Pesenta (Vezenta in Bosnia), Parathalassia (maritima; Primorje), Brebera (Bribir), Nona, Tnena (Tininium, Knin), Sidraga, (in Dioecesi Scardonensi), Nina. Ipsorumque Banus tenet Cribasam (Corbavia, Kerbava), Litzam (Lica) et Gutzekam (Gačka seu Gadska), et quidem praedicta Chrovatia cum reliquis Slavinis ita sita est. Dioclea porro propinqua est Dyrrachii oppidis Elisso, Helcynio et Antivari, extenditurque Decatera (Cattaro) usque; montana autem Serviae finitima sunt. A Decateris vero incipit Terbuniae principatus, porrigitque se Rausium (Ragusium) usque, at versus montana Serviae adiacet. A Rausio Zachlumorum principatus initium habet, et protenditur ad Orontium flumen usque; oraque maritima Paganis, montana, quae ad septemtrionem, Chrovatis, quae in fronte, Serviae contermina est. Ab Orontio flumine Paganis (non baptisata Croatia) incipit et porrigitur usque ad Zentinam flumen, et zupanias tres habet, Rastotzam (?), Mocrum (Makarska) ac Dalen (Delminium, Duvno), et quidem duae zupaniae, Rastotza ac Mocrum, ad mare sitae sunt et sagenas habent, Daleni vero zupania procul mari sita est, et eius incolae ex agricultura vivunt. Habent quoque Pagani in propinquo insulas quatuor. Meletam, Curcuram (Corcyra, Corzula), Bartzum (Bracchia, Brazzo, Brač) et Pharum (Lesina, Hvar) omnes pulcherrimas fertilissimasque; oppida item deserta et paludes multas in quibus habitant et iumenta alunt, unde victum parant. A Zentina autem fluvio Chrovatia (baptisata) incipit, extenditurque versus mare ad Istriae usque confinia, sive Alburnum (Albona) urbem; versus montana aliquatenus etiam supra Istriae thema excurrit, ac versus Tzentzena et Chlebena (zupanias) Serviae regionem attingit.

Imperator Constantinus Porphyrogenitus. De administrando Imperio. Cap. 30.